

TURRIS BABEL LIB. II.

41

Cap. II. tudine, commeatus, sive ciborum annona profus necessaria erat, æconomos quosdam verisimile est, constitutos fuisse, qui annonam undique & undique collectam, nec non magnâ camelorum, equorum, asinorumque multitudine in constitutum locum advectam, operis statuto tempore distribuerent.

Sub qua forma Turris fuerit aedificata.

Prima Turris contignatio.

His itaque per suos ministros singulari providentiâ constitutis, fabricam orsus est, & primò quidem sub formâ rotundâ, aut, uti alii sentiunt, quadratâ, (nos rotundam feligimus) fundamenta ponebant, juxta circuitus determinatam quantitatem, deinde supra jacta fundamenta formam fabricæ ordiebantur; & primò quidem, pro primo solario, sive contignatione, ambitum, seu peridromum ad quam volebant altitudinem exaltabant, per quem homines animaliaque bitumine, lateribusque onusta facillè circumire possent, suis exedris peristiliisque ad præcipitationem animalium vitandam instructum; deinde ad hujus peridromi planum ab infima Turris basi, scala cochlearis, sive helix fat lata parabatur, per quam sub declivi, & quantum fieri potuit, depresso tramite, facillimus animalibus ascensus dabatur. Erat autem hæc prima substructio subtus variis cameris, rēceptaculis, fornicibusque suffulta, tum ad nocturnam operarum quietem, tum ad necessarium commeatum ibidem recondendum. Hac veluti primâ Turris contignatione peractâ, secundam ordiebantur contignationem, juxta quantitatem ipsis placitam, ad quam ex primo peridromo per scalam cochloïdem, sive helicem, ad secundam concedebatur ascensus; & sic à peridromo ad peridromum, atque ex hisce per scalam cochloïdes ad singulos ascendebatur usque ad eam altitudinem, quam DEUS ipsis permisit, dum confusione linguarum eos à cœpto opere desistere com-

pulit. Verùm ut lector luculentius Sect. I. Turris fabricam contemplaretur, hæc ejus non genuinam quidem, sed quam concipere mente nostra possumus, delineationem apponendam censui.

Notandum verò, quod antequam fabricam ordiretur Nembrod, primò mansiones, sive habitacula, domusque ædificandas censuit, ne tanta multitudine hominum semper sub dio, omnibusque aëris injuriis exposita regione, commorari cogeretur, sub forma civitatis extruxit; atque hanc ego arbitror civitatem fuisse, de qua Moses in sacra Genesi, mentionem facit. Venite faciamus nobis civitatem & Turrim. Fuisse autem primò rudia quædam, & imposita habitacula sine ordine disposita, sed cum in architectonica arte, ex

Quanam civitas illa fuerit quam sacer textus Nembrod extruxisse refert.

Turris extructione plurimum jam profecissent; tunc enim Nembrodus sub initio Regni sui, eam ad meliorem deinde formam & decorem redactam, ad Euphratis Tigrisque confluum condidit, quam post 700 circiter annos Semiramis instaurandam, stupendis, magnificentissimisque fabricis, uti paulò post videbitur, condecoravit. Neque putet lector, contignationes dictæ Turris sub continua soliditate extructas, quin imò, ingentibus intus aulis, conclavibus reconditoriisque præditas fuisse, per quæ ex peridromis intra ea undique ingressus concedebatur. Ad quam verò altitudinem, propositam Turrim exaltârît Nembrod, antequam ab operis prosecutione desisterent, sacer textus filet: secundum varias verò autorum in præcedentibus allegatorum opiniones, alii ad altitudinem montis, alii ad mille passus, non desunt, qui ad quatuor millia passuum altitudinem erectam fuisse arbitrantur, de quibus in sequentibus pluribus agetur. Lector eam, quæ ipsi magis arriserit, amplecti poterit. Atque hæc de Turris Babilonica fabrica sufficiant.

F

SE-